DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS, 6

QUÆDAM DE

MORBO, ONEIRODYNIA DICTO,

COMPLECTENS.

AUCTORE JOANNE GULIELMO POLYDORO.

PROŒMIUM.

Thesin de obscurissimo morbo oneirodynia scripturus, materiam, perspicaciæ gratiâ, in varias partes dividam. Primum igitur generalem morbi historiam tradam ; inde historias aliquas peculiares ; omnia denique quæ vel ad curationem, vel ad theoriam pertinent ; pro viribus exponam. Nam in medicina, experientiam solam, theoriarum basin esse, vix dubitari credo. Omnes enim in corpus organicum, animi, et corporum externorum actiones tam obscuræ sunt, ut nun-

quam primas cognoscere causas rerum, nos futuros esse, videtur. Nam, cum in chemia, tum in mechanicis multa et magna ignoremus quomodo, nos ad vegetabilium, et multo minus ad animalium et animi principia accessuros esse credamus? Theoriæ igitur actionum mentis in corpus, nihil nisi ad experientiæ deductiones facilius in mente retinendas prosunt. Sed ad rem pergam, quæ cum perdifficilis sit et atrâ caligine mersa, perfectum opus non exhibere presumam, sed, cum ea de re vitia et defectus agnoscam, eorum qui rectius ista noverunt libenter utar sententiâ.

DE ONEIRODYNIA

GENERATIM.

Vox oneirodynia Græca est ex ονειρος et οδυνω composita, quæ ambulare in somnio significat. In medicina vero, cum de hoc morbo agitur, non solum de illo qui in somnio ambulat intelligetur, sed de illo etiam qui dormiens expergisci videtur, et ut vigilans agit vel loquitur. Quem morbum si definire queam, consuetudinem esse dicerem aliquid in somno faciundi quod plerumque fit ab illis qui vigilant. Varietates vero oneirodyniæ a diversis actionibus ægri oriuntur, et tot esse dici potest quot discrimina sunt, quæ in ea observantur.

Sauvagesius ad duas tantum species hujusce morbi historias refert, ad vulgarem scilicet et catalepticam, et est genus sexti ordinis Allucinationis, classis octavæ Vesaniæ, in hujus auctoris nosologia. Oneirodyniam,

vel, ut ipsius vocabulo utar, somnambulismum, allucinationem esse dicit, qua somniantes e lecto surgunt, seque diversis periculis exponunt, cujus prima species vulgaris, in qua sopore excitabili, ille qui hoc morbo affectus est, detinetur. Secunda vero catalepsis delirans. Quæ definitio vitiosa esse videtur, nam oneirodyniâ laborantes non semper sese periculis exponunt. Præterea, discrimen hoc quid habet ad morbum definiendum?

Nec melius de speciebus loquitur, nam ut oneirodyniæ catalepseos speciem enumerat.

Culleni ipsa claudicat definitio, nam causam definit cum debet symptomata definire. Species vero ab eo descriptæ minime accuratæ sunt, quia, in activam et excitantem ad ambulationem motusque varios, et in gravantem ex sensu ponderis alicujus pectus comprimentis, morbum dividit. Species prima ambas Sauvagesii complectitur; de altera

vero non intelligo quid Ephialtem Sauvagesii plethoricam sub oneirodyniæ nomine complectatur, nam hoc, non ex affectione mentis oritur, sed e læsione organica cordis, ex aqua, in aliquam partem viscerum thoracis premente.

Multæ varietates actionum sunt quas morbus hic facere compellit. Aliqui omnia quæ singula die acta fuere narrant; alii interrogationibus amicorum respondent, et de aliqua re apte disserunt; aliqui, ut imaginatio vividior est, themata, carmina et hujus generis alia, elegantiora quam vigilantes, scribunt alii gladium distringunt vibrantque; scopletum explodunt quasi ad latrones impugnandum non sine magna circumstantium formidine et magno periculo. Alii lampada accendunt, vestibus induunt, claves inquirunt, vinum hauriunt et hilariter bibunt. Alii e lecto surgentes per tecta ambulant, in amnem descendunt, in loca ardua et in precipitia repunt, ubi sanus eos nulla causa sequi

auderet, et hæc faciunt ne minimo quidem periculo, et nisi expergiscantur salvi redeunt. At si aliquis tam imprudens esset eos expergefacere, aut si ipsi sese a somno excitent, tum plerumque, præcipites se dando pereunt.

In oneirodynia laborantibus, licet aditus omnes ad varios sensus aperti sint, tamen eos nullas sensationes nisi eas ad rem ipsam quam faciunt pertinentes, habere videtur. Nonnullos semper oculos apertos habere, sed plerumque non iis uti apparet. Alii autem ut in somno semper oculos clausos habent, ut refert Muratorius in historia ab eo relata in tractatu vulgò *Della Forza della fantasia umana.* Sed quod magis mirabile est, ii memoria omnia tenent, quæ ultimo paroxysmo facta fuere, attamen nihil vigilantes de iis reminiscuntur; ita ut cursus cogitantis et reminiscentis animi duplex esse videatur, dormientis ille, alter vero vigilantis.

DE ONEIRODYNIÆ CAUSIS.

Morborum causæ tres dici possunt; proxima scilicet, remota et prædisponens. Proxima est illa e qua morbus ipse extemplo gignitur; remota quæ proximam antecedit; praedisponens vero quæ homines ad aliquem morbum proclives facit. Sed de causis proximis cum nihil certum habeamus, et nihil nisi hypotheses tradere possimus, conjecturas et subtilitates prætergrediar. Et de aliis quoque causis, vel ob observationum inopiam, vel ob levem, tum recentiorum, tum veterum scrutationem, vel ob naturæ moram, non multum scimus. Causæ remotæ variæ sunt, sed omnes aliquo modo cerebrum afficere videntur. Ita aliquando vulnus capitis oneirodyniam induxit, ut videri potest in Lenadi memoriarum volumine VIII. No. XIX. Aliquando vero cum hysteria, epilepsia, et aliis morbis qui ab affectione cerebri oriuntur, congignitur. Quod plane oneirodyniam a læsione in-

terna cerebri gigni demonstrat. Sed multo sæpius nulla causa evidens apparet.

Causæ prædisponentes vel determinantes, sunt, ebrietas, cœna largior, cibum flatulentum, tegumentorum copia, caput inferius corpore submissum, decubitus supinus, studium, opii usus, et omnia quæ sanguinem ad cerebrum movent.

AD MORBI HISTORIAS DUAS

PRÆFATIO.

MULTA mirifica de oneirodynia laborantibus traduntur; sed maxime dolendum est, perpaucas historias esse quibus fidem dare possumus. Auctores enim qui eas retulerunt; aut non ipsi ægros viderunt, et relata tantum repetunt; aut desiderio famam apud vulgum adquirendi, non solum vera exaggeraverunt; sed etiam aliqua fortasse finxere, alia neglexerunt. Nam etiamsi numerosissima et magna sint miranda naturæ, tamen multa, vel cœca credulitate, vel utilitate quadam, naturæ attribuuntur de quibus inscia est, quia difficiliora, vel etiam impossibilia facillime dici possunt. Ita ad illud Horatianum mens sana frequenter recurrit. 'Credat hæc Judæus Apella.' Necesse erit igitur iis solum uti historiis quæ a viris maximæ auctoritatis narrantur, et qui nihil nisi ea, narrant, quæ viderunt. Duo

ergo tantum exempla seligam, unum ex auctoritate Episcopi Burdigalensis in Gallica methodica Encyclopedia editum, et alterum a Patruo Aloysio Polydoro Medicinæ et Philosophiæ Doctore, ad Collegium Regium Medicorum Londinense missum. Et primum, historiam referam, deinde varia quæ ex his colligi possunt adnotabo. Patrui historiam propriis suis verbis exponam, ut sensum auctoris melius retineam, sed illam Gallici Episcopi Latinè pro viribus fideliter reddam.

HISTORIA PRIMA.

DE ONEIRODYNIA CONVULSIVA FURENTE, NARRATIO.

AUCTORE ALOYSIO EUSTACHIO POLYDORO, P. M. D.

Puer decem natus annos, matre cephalæâ rebelli vexata, et cujus amita epilecticis insultibus obnoxia erat, mense Februario 1793 ineunte, genuum convulsione clonica seu tremore comprehendebatur, cui ad terram lapsus corporis, dolor capitis et tandem somnus succedebat : ista sæpe recurrerant, cum statim ac crepitus in sinistro carpo exortus est cum ad canem os projiceret, simili contractione ac distentione ea manus identidem

cœpit exagitari. Hæc Aprili adventante excipiebat coxedinis dextri dolor, qui mox genu, postea pedis pollicem occupabat. Post paucos dies sinistrum pollicem et pedem et coxam latusque inverso ordine adoriebatur talis dolor ac distensio: verum spasmi hujus accessionem præcedebat dolor digiti medii vel et finitimorum dexteræ. Initio dolor biduum continuus duravit; mox repetebat morbus alternis diebus post solis occasum; postea vero, accedentibus crurum tremoribus, sæpius quarta quaque die invadebat. Postquam sanguinis missione instituta ac medicamento cathartico propinato, ex communi aqua balneis et anthelmiticis remediis usus erat, et cum Peruvianum corticem ex aqua quotidie devoraret; decem dierum induciæ factæ, quas exiisse dolores leviores vagi frequentioresque indicabant, quibus cephalalgia, labiorum, oculorum pectorisque convulsiones sequebantur sub finem Aprilis ejusdem. Ex eo tempore bene aliquando se habuit; prima vero Maii die ad eas affectiones se co-

mitem adjunxit brevis sopor ac quies, cui repente garrulitas ac gesticulatio succedebat, quæ circa timorem Gallorum aggredentium, prout ejus phantasia sibi eos representabat, versabatur. Et hæc sæpe atque inordinate accesserant recesserantque, cum subinde jugulus constringi, deglutitio præpediri, spasmis puer torqueri, saltare, canere, pugillatim agere, exclamare pavidus cum vel leviter tangeretur. Sed alias, soporem, et huic succedentes passiones actionesque, vertigines, in scenam reducebant.

Hactenus audita protuli: mox quæ a me observata sunt prosequar.

Porro vigesima quinta Junii die, post noctis initium accersitus ego ad puerum, in lecto jacentem inveni. Me novit equidem ut adstantes cæteros; et interrogatus quomodo se haberet, coxas et crura dolere diserte respondit, tum maxime cum premerentur. Pulsus erant inequales, parvi ac duri, res-

piratio tamen ut sani. Eos explorans, bis terve observavi cum rari fierent atque obscuri, inferiores artus celeriter concuti. Post brevissimam somni speciem, gesticulari incipit, et dulci garrula verba sono, læto ore profert: tum *solutum* crus esse ait, inde et paulatim alterum exsolvi gaudet, ac tandem surgit; deambulat quaqua versus super lectum, nec unquam hujus oras pede præterit; saltat, narrat quæ vidit, quæ facta dictave sunt et nuper et olim. Dum hæc fiunt offendit manu pileum quem sæpius jecit, ut sanus solebat, ad laqueare, atque id eo animo facere videbatur, ut super trabem remaneret; nam juxta murum locus erat inter eam et tigilla vacuus. Famulus aderat, in quem, cum hic eum comprehenderet pugnos vehementer ingerebat. Tum ego, ut noscerem an visu frueretur, jubebam famulum tangere illum et statim conquiescere atque ita declinare plagas. Puer lacessitus, hinc et illinc aera pugnis pulsabat quærebatque curiosius hominem. Ad hæc cum penderet

ex muro juxta lectum pictura, eam exiliens refixit, osculatus est, voluitque secum jacere atque ad somnum composuit; et cum ablata a famulo esset, manibus, ad eam inveniendam locum ubi affigi debuisset iterum atque iterum lustravit. Post modum e lecto descendit omnesque obvios pulvinari ac pugnis cædebat; per cubiculum deambulabat, nec unquam muro impingebat, immo matulam, mingere volens, nullo labore, ubi loci reponi solebat invenit. Inde super arca se composuit, aptato sub capite pulvinari quod circumtulerat: quoniam vero durus ei videbatur lectus, opinor, clamydes quæ ex conamento super eum pendebant; sibi substravit, ibique morabatur quietus. Pulsus tunc explorare tentavi, at renisus est retraxitque manum puer, et postquam sensit ita sibi male cavere, clamydem induit talibus manicis quæ brachiorum suorum longitudinem superarent, iisque implicatis ad invicem, *tange dum*, ait irridens. Cœpit etiam alterum atque alterum palpare, agnovitque et matrem et famulam. Cum vero

aquam ore sumeret, contraque obvios buccis exploderet, de gustus organi conditione inquirenda excogitavi, atque ex frustulo cocholatæ aliquid comminutum aquæ admiscui, quam ex cyatho identidem hauriebat: is autem gustans chinæ-chinæ infusum esse ait, respuitque. De olfactu quoque experiri solicitus, chartam incendi, modo flammam exstinxi, et ad ejus nares admovi, qui statim exclamare cœpit: *Pape ardet domus!* Hæc inter, nullo pacto vidisse tum expositorum aliqua innuunt, cum fax demonstrabat quam prope apertos oculos positam atque agitatam minime repellebat vel neque declinabat. Conclamationes demum ad aures, quas velut statua excipiebat, quod auditus feriebatur extra omnem ponebat dubitationem. Tandem, duobus a morbi invasione elapsis horis, se dedit somno, sub quo convaluit; nec crastina die aliquid horum quæ narravimus recordabatur. At postera nocte, similis fere paroxysmus, eadem hora, ad idem tempus duraturus, eodemque modo solvendus de-

prehendit venustum puerum. De sensibus eadem tentamina habita, eademque conclusa. Tria mira, et ipsa equidem, ideoque digna quæ memoriæ prodamus, exponam. Animadverterat is forte cum sanus esset, arteriarum radialium motus minus sensiles fieri dum manuum digiti agitarentur: cum igitur eas tangere tentarem, statim agitationem digitorum moliebatur. Nec temporalis arteriæ pulsus perpendi sivit; admota enim sua manu huic, dum dentes ad invicem concutiebantur, et sic certiore reddito tali pacto similiter illius arteriæ micatus obscurari, toties inferiorem mandibulum velociter adducebat deducebatque, quoties arteriæ ictibus meum digitum objiciebam. Tandem cum ego persequerer eam tangere velle, molestia affectus, *si clamyde*, ait, *heri vespere, hoc impedivi, mox pugnis idipsum obtineam.* Res sane prodigiosa, cum puer a primo paroxysmo vacuus, facti nullo pacto recordatus esset. Denique, pulvinari pro cruce usus, procedebat per cubiculum, atque iden-

tidem genuflectens, sacrum intercalare recitabat: *Adoramus te Christi*, &c. quod ab iis qui meditantur Christi passionem, vulgo, *viam crucis*, peragrant; dici solet, cum genibus advolvuntur ac se deprimunt. Quod autem forsan reticendum non est, eo tempore quo puer complicato hoc morbo conflictabatur, eodem sed leviori, laborabant, ejus soror et alia familiaris puella tredecim annorum ambæ: hystericæ ac spasmodicæ affectiones semper oneirodyniam præcedebant. Omnes vero natura potius quam arte, brevi tempore convaluerunt.

Ex proposita historia igitur constat, optime, ex more, Burserium de hac specie morbi, quem *somnambulismum*, *furentem* sive *complicatum* nominat scripsisse. "*At hujusmodi somnambulismus, non unice catalepsim subsequitur, ideoque generatim catalectici nomen ei non convenit, nam subsequitur etiam hysterismum, convulsiones, epilepsiam aliosque morbos.*" Tantum observationes nostræ

verum perpetuo non esse commonstrant, quod ipse de hujusce speciei ægrotis ait, nempe, tactu, olfactu et gustu omnino esse destitutos. Quod si plerumque ita est, fuitque ut videtur in puero, quem *solius camphoræ continuatio diu et sensim aucto usu, extra multorum spem atque expectationem perfecte intra bimestre spatium restituit*, eo magis operæ prætium erat historiam hanc nostram, utpote quæ rarissimi morbi, rarissimam saltem varietatem sistit, literis consignare, medicisque ita ac metaphysicis de nervosi systematis organis eorumque facultatibus, deque consuetudinis vi decernendi ac effingendi quæ possint ac libeat occasionem præbere.

IN HISTORIAM PRIMAM ANIMADVERSIONES.

Actenus Aloysius Polydori, nunc mihi in hanc historiam annotationes aliquot faciendæ sunt. Et primum de origine mali, tum de symptomatibus, quæ præcipue animadvertenda sunt, et demum de curatione dicam.

Morbus in puero de quo loquitur et in duobus aliis, evidenter ab affectione cerebri oriebatur, nam a spasmis initio aggrediebantur. Sed quæ sit hæc cerebri affectio, nullo modo intelligi potest. Si autem quod sentio dicere licet, morbum, non ab organica cerebri affectione, sed a majori cerebri et nervorum irritabilitate ortum esse opinabor.

De symptomatibus, quod nobis primum objicitur, est, ejus memoriam non solum in-

columem, sed etiam auctam permansisse. Is enim memoria tenebat, non solum illa quæ vigilans fecerat, sed illa etiam quæ ultimo paroxysmo facta fuere, quarum vigilans minime reminiscebatur. Videtur enim ejus intellectum auctiorem factum fuisse nam quod nullo modo a puero expectarem, experimentum fecit an, ut sicut arteriæ radialis pulsum digitos movendo impediverat, sic maxillarem quoque, dentium cum dentibus percussione impedire pariter potuisset.

Sed de visu inquirendum nunc est, an illo fruebatur vel non. Auctor historiæ eum non vidisse credit. Quædam tamen sunt, quæ, si ita esset explicari nequeo. Quomodo, nisi vidisset, pileum sæpius ad trabem ejicere, quomodo illum, aut manu excipere aut super terram invenire iterum iterumque potuisset? Sunt etiam quædam contra, quæ eum non vidisse demonstrant, ut cum facem ante oculis positam nec re-

pulit nec declinavit; sic etiam cum picturam ubi non erat quæsivit et cum famulum attingere nequivit. Sed si accuratius hæc investigaremus, eum non vidisse nullo modo demonstratum esse apparebit. Nam eum interdum non vidisse hoc modo explicari potest, ab eo, quod in imaginatione nihil erat ad hoc pertinens.

Eum picturam quæsivisse hoc modo explicarem, imaginationis et memoriæ impressiones fortiores fuisse illis per oculos venientibus, ut quidem aliquando, aliqua quaque animi alienatione, in mensa vel in pluteo, librum in loco ubi esse solebat, mechanica quaque consuetudine quærimus, quamquam illic non esse sciamus. Et eum famulum attingere non potuisse, nullo modo visionem non habuisse argumentum erit, si in memoria habebimus ei tactu opus fuisse ad matrem inveniendam, nam inde apparet eum visu usum esse, sed intervallum æstimare, nisi tactu nequisse, et ea de causa visionem cor-

ripiebat, quod non in casu famuli facientem, ea de re tantum accidisse videtur quod erat deceptus. Sed, si ita sit, aliquos quærentes audire credo, quo modo intervallum inter pileum et manum intelligebat? Id explicari potest a minori intervallo, nam oculis multo facilius brevem distantiam quam longiorem demetiamur. Ex his arguerem eum tantum vidisse, cum imaginatio ei aliquam ideam ad quam rite prosequendam visu opus esset, suppeditaret et hac de causa facem non vidisse presumam, quod mens alibi intenta erat. Alii sensus præter auditum, aperti erant omnibus impressionibus, ut constat ex experimentis. Sed de his etiam puto illos solum apertas fuisse cum aliquid a mente suppeditatum esset.

Curationem hujus morbi naturæ fere relictam constat. Ægrum vero de quo ad finem historiæ narratur, camphoræ usu, irritabilitatem imminuendo, natura prona, convaluisse credo.

HISTORIA SECUNDA

EX GALLICA ENCYCLOPÉDIA.

Archiepiscopus Burdigalensis cum in collegio esset, quemdam sacerdotem oneirodynia laborantem, (et ut curiosus erat cognoscere hujus morbi effectus,) sæpe nocte in ejus cubiculum introeuntem, et hæc et alia facientem vidisse narrat.

Sacerdos e lecto migrabat, chartam sumebat, orationes scribebat, et cum unam paginam scripsisset iterum eam legebat, si quod sine oculis fit, legere dici potest. Si aliquid ei displiceret, stylo expungebat, et correctionem supra, proprio loco scribebat. Perscrutavit Archiepiscopus unam ex orationibus et illam satis elegantem et bene compo-

sitam fuisse asserit. Sed inter alia curiosissima, correctio erat. Scripserat sacerdos *ce divin enfant*, sed religens, ratus est melius futurum *adorable*. Expunxit ergo *divin*, et supra *adorable* scripsit; sed reminiscens *ce* ante *adorable* poni non posse, penna *t* post *ce* posuit, ita ut faceret *cet adorable*, quod tam nitide fecit, ut oculis utens melius facere nequiret. Ut videret Archiepiscopus an oculis munere fungerentur, ante mentum chartam ita ut visum impediret posuit, attamen scribere prosecutus est. Et scire cupiens quomodo eas quibus utebatur chartas distingueret, varias suppeditavit, illamque super quam scribebat amovit, at ille semper fraudem agnovit, nisi eadem forma et magnitudine essent. Si vero exactè priori similes essent, correctiones, loco quo in alia charta esse deberent scripsit. Archiepiscopus varias chartas habet, ab illo musicis notis exaratas, cujus lineas cum baculo fecit, et quarum subter notas verba scripsit. Notas vero prius ut *minimas* formavit, inde in *se-*

miminimas vel alias quasdam breviores convertit. Accidit quondam ut literas paulo longiores quam par erat scripsisset, sed non multum post, cum perspiceret verba non juxta notas rectè stare, manu expunxit, et paulo infra accuratius iterum scripsit.

Nocte quadam hiemis, figuratus se ad fluminis ripam ambulare, puerum in flumen incidisse credidit, et quanquam frigus magnum esset, tamen nil percunctatus est ei opem ferre : sese super lectum jecit, omnes motus natantis imitavit, et postquam diu sese fatigavisset, sensit tegumenta aliquot lecti ; una manu ea prehensit, altera vero ut natans usus est, et cum, ut credebat, ad ripam advenisset, ea super illam posuit, tum tremulus et dentes conquatiens, quasi e flumine vere exiret, e lecto migravit. Adstantibus se gelare et frigore exinaniri dixit, qua de re vini spiritum petiit, quod cum in cubiculo non esset, astantes ei aquam dedere, sed ille, intellecta fraude, majus instetit ; vinum adus-

tum requisivit, periculum monstrans, quod cum ei datum fuisset, magno gaudio accepit, seque melius se habere dixit; tum sese in lecto reposuit. Aliquando trochiscos adstantibus petebat, et libenti animo devorabat, sed si amici in ejus orem inseruissent, ut insipidos despuebat. Ille etiam si quod scripserat satis siccum in ima paginæ parte non esset, manu premebat antequam folium pervolveret, sed si jam satis siccum esset, hoc negligebat. Idem faciebat etiam si altera charta suppedita esset. Ille vigilans nihil de paroxysmi factis reminiscebatur, sed sæpe in paroxysmo quæri audiebatur ab amicis, quod eum scribere, loqui et alia dormientem facere accusarent, cum tam alto somno involutus esset.

IN HISTORIAM SECUNDAM ANIMADVERSIONES.

Hujus hominis imaginationem et memoriam quam maxime auctam videmus. Quam vividam imaginationem eum habuisse argui potest quod ille sine usu oculorum, imaginationis vi tantum res in mente depictas tenebat. Memoriam ægro alteri similem non habebat, nam non ea quæ prioribus paroxysmis fecerat, sed ea tantummodo quæ vigilans fecerat meminerat.

Eum vero per obscure vidisse satis constat, nam chartæ magnitudinem agnovit, et ad hoc faciendum, non usum esse tactu clarissime apparet, sed illum obscurissime vidisse experientia de chartarum immutatione demonstrat. Videtur enim eum plerumque non vidisse, et aliquando tantum visu fruitum esse. Credo igitur, eum, ut alterum, visu usum esse, cum aliquid vividius imagi-

nationem concuteret, et hoc forsitan cum chartæ commutarentur per tactum accidit.

De aliis sensibus, nisi de gusto, nihil in historia habemus, sed gustûs sensus in hoc ægro nobis optimum nostræ opinionis exemplum præbet, nam ille evidenter, nisi imaginatio menti ideam alicujus rei prius obtulisset, nullo modo gustu fruitum esse videtur. Tactus etiam, nobis ejusdem opinionis exemplum præbet, nam frigus non sentiebat nisi cum id mente impendebat.

RATIO SYMPTOMATUM.

Hujus et omnium morborum causæ, ut antea dixi, perobscuræ sunt. Nam, ut nihil de mente, et mentis, per cerebrum, in corpus, actione scimus, hujus morbi causas detegere non presumam. Hac de causa symptomatum rationem solummodo in medium feram.

Primum quod sese ad explicandum præbet, est status mentis et corporis in ægro oneirodynia laborante, quod ut explicem, a definitione somni proficiscar.

Somnus est ille mentis status, in quo, aut nulla cogitatio est, aut si ulla, memoriam tantum et idearum connexionem persequitur, corporis sensibus fere omnibus amotis.

Oneirodynia a somno hôc, solum differt,

quod mens vividiori *memoria* fruitur et aliæ corporis partes ad impressiones suscipiendas aptæ sunt, aliæ majori sunt insensibilitate involutæ. Et si ita dicere licet, oneirodynia idem somni status est, ac ira aut alia perturbatio vigilantis, nam mens et corpus in ambobus ita ad unam rem applicantur ut externa, sensationem non excitent. Quomodo fit mentem iis solum ad rem cogitatam pertinentibus affici facile explicari potest, si memoria teneamus mentem duo prosequi eodem tempore nequire, et cum de aliqua re cogitet, non nisi a fortiori in mentem impulsu ab ea amoveri. Ita, cum faciat æger aliquid, tam attente facit, ut affectio mentis stimulis usitatis major sit. Hujusce rei exemplum etiam in corporis affectionibus videmus, nam qui ex arthritide laborat non dolorem minorem sentiet. Sensus autem quibus opus sit ad rem cogitatam explorandam ad minimos impulsus aperti sunt, quod etiam in insomniis fieri, cum mens occupatur, videmus, nam, quo magis alicui rei

intenti sumus, eo magis sensus quibus ad rem lustrandam egimus acuuntur, et alii sensus magis magisque sopiti sunt.

Videmus somnambulos cum semel res viderint, talem servare memoriam, ut etiam si eas dimoveant, invenire facile queant. Sed quomodo explicari potest eos memoriam illam duplicem habere? Nihil certum habens, hypothesin tantum in medium feram. Forsitan, oneirodynia laborantes, in ea quæ cum altero præcedente paroxysmo connexionem habent incidunt, iterum ingrediuntur, ut ita dicam in cursum idearum in somno habitas, quæ non longius durant quam somnus ipse, et ea de causa nihil vigilantes reminiscuntur.

Hominem frigus tam acute sensisse, ut sese in aqua gelida immersum crederet, si rem mente volvamus, non tam difficile explicatu inveniemus, nam quotidie accidit idem phenomenon. Cum mens de una re tantum eodem tempore cogitare possit, frigus nisi

mente in id impensa non sentit; sed si de eo multum cogitet, frigore quam acutissime vexatur. Ita nihil mirum si somnambulus tempore hiemali, mente in id impensa frigus acutius sentiet.

Ex hac sensatione acutiore aliqui qui rem non bene consineraverunt, dogmata multa evertere conati sunt. Hac de causa, illud "nihil esse intellectu quod non prius fuerit in sensu" falsum monstrare voluerunt. Sed licet eum non in aëre frigido fuisse, tamen nihil valeret ad hoc refellendum, nam quoties fuerit in sensibus frigoris sensatio, quæ iterum iterumque memoria renovata fuerit. Neque hoc eo refellitur, oneirodynia laborantes scribere et corrigere sine visus fruitione, nam tactu, ut in coecis, visus potest esse suppedita. Eodem modo refellitur id a pluribus dictum, nos, si somnambuli sensationes sine causa habeant, unum e majoribus de corporum existentia argumentis omittere. Alii vero dicent frigoris effectus, majores etiam solito fuisse, et

hoc concedam ; sed eum, non sanum, sed ægrum fuisse reminiscendum est. Hoc autem opinionem nostram oneirodyniam majori irritabilitati deberi confirmat.

MORBI CURATIO.

Oneirodynia laborantium valetudo plerumque integra est, et nihil periculi in morbo esset nisi ægros in loca periculosa duceret. Dicunt auctores aliqui hunc morbum catalepsim et maniam aliquando inducere. Hac de causa omnia quæ possumus facienda sunt, sed, ut plerumque accidit, aliquid quod morbum propellat nescimus.

Indicationes implendæ duæ sunt.

1. Paroxysmos impedire presentes.

2. Remotos fugare.

Ad indicium primum implendum, solum causas predisponentes amovere possumus. In somnambulo, ebrietas studium, et alia quæ mentem stimulent et postea debilitent evitanda sunt. Forsan tonica dari possint, ut

cortex Peruvianus, ferrum et similia, sed quantum et quando experientia solum sciri potest. Mens vero ægri quantum possumus a rebus seriis amovenda est.

In paroxysmo primum januæ et fenestræ claudendæ sunt, et omnis exitus impediendus. Nam somnambulus quidam, credens se Aristotilem et alios philosophos per fenestram exientes videre, eos, nisi amici cum retinuissent secutus fuisset: Tum ea applicanda sunt quæ ægrum cum terrore e somno excitent. Verbera, electricitas, balnea frigida, si ita posita sint ut æger in ea incidat cum e lecto somnambulans migrat, forsitan paroxysmorum reditum impedient.

FINIS.